







16

1. J.

2. J.

m

3. C.

4.

4. J.

5. J.

6. v.

7. M.



1698.

1. Barthius, Gualtiero: De jurisdictione, quam
personae illustres et nobiles per officiales exercere
solerent. 3 Sumpt. 1698, 1718: 1747.
- 2^{us} Bejerus, Georgius: De dispensatione circa matri-
monium intra gradus consanguinitatis et affini-
tatis prohibitas.
3. Calvisius, Aureus Christophorus: De causis incrementi
Literarii post barbara secula.
4. Hardt, Johann Gottlieb: De officio hominis circa
res humanae sorte non comprehensas.
5. Hoffmannus, Anders: De architecturae militaris
natura et partium ejusdem terminorum nomenclatura.
6. Meister, Joh. Gottlieb: De indigenatu Poloniae
Tura
7. Menckemius, Ludovicus: De venditione ad usum venditorum
necessariam traditionem obligato.

1698

8. Nylius, Andreas: De competentia fori ratione
rei hereditariae ad l. m. C. ubi de hereditate
agatur

9. Nylius, Andreas: De inveniendis cautely. obji-
ciendis exceptionibus.

10. Rechenberg, J. Adamus: De museo Alexandrino.

11. Rechenberg, J. A.: De potentia S. R. imperii
Germanici.

12. Schmidius, Joh.: An parentibus liberis suos
vendere liceat?

13. Womersley, Joh. Beckhaus: De obligatione ma-
trimoniali secundum legem naturae

14. Womersley, Joh. Beckhaus: De jure parentum
et liberorum secundum legem naturae

1698

15. Wertheim, Joh. Balch : De moralitate simulata.
Lionis Aulicæ.

16. Wertheim, Joh. Balch : De norma actionum huma-
narum.

17 ~~17~~ Wertheim, Joh. Balch : De gemina lege natu-
ralis et gentium investigandi methodo.

18. Wertheim, Fr. Balch : De gemina lege natu-
ralis investigandi methodo.

239



407.
XI.
1698, 4
M.
3
7
3

Q. D. B. V.

De
OFFICIO
HOMINIS,
CIRCA RES HUMANA
SORTE NON COM-
PREHENSAS,

PRÆSIDE
DN. M. JOANNE Gottlieb Gardt /
Log. & Metaph. Professore Publico, Facultatis Philoso-
phicæ Assessore, & Templi Cathedralis Magdeb. Vicario
S. Joh. Evangel. in summo,
Præceptore atq; Patrono jugi observantia
colendo,

ad diem XXX Decemb. MDC IIC.

H. L. Q. C.

cum eruditis publice disputabit

FABIANUS Ehlan / Lefna-Polonus,
SS. Theolog. Studiosus,
A. & R.

LIPSIAE,
Typis IMMANUELIS TITII.

17.

L. D. N.

OFFICIO

H. O. M. I. L. I. O.

CIRCUITUS HUMANI

SO. T. E. R. E.

L. D. N.

ON. M. I. C. H. A. E. L. I. O.

PL. C. I. T. A. T. I. O. N. E.

T. R. O. P. I. C. A. L. I. S.

U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S.


U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S.

F. A. C. U. L. T. A. T. I. O. N. I. S.

U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S.

U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S.





7. 7.

Th. I.



Efficia quibus homo prælucente ratio-
ne tenetur, vel supra ipsum erga De-
um tendere; vel ad proprium statum
attinere; vel dimanare ad quoscun-
que homines alios; vel etiam servan-
da circa res ad humanam sortem non
accedentes occurrere: manifestum at-
que deprehensum opinamur.

II.

De postremi census officiis nunc quidem acturi decla-
ramus, vel ipsa distributione, quam attulimus, ita jubente;
à rerum humana sorte haut comprehensarum ambitu ex-
cludi ens infinite superius DEUM: eodem vero claudi,
quæ modo cunque præter hominem ad isthoc Universum
pertinent.

III.

Equidem non subscribimus Dn. Joh. Adamo Osiandro
Collegii considerationum in dogmata Theolog. Cartesiano-
rum cap. IIX th. III p. 101 perhibenti: quod sine homine in
hoc universo frustra essent cætera condita, quodve laudem
& gloriam DEUS consequutus non fuisset, si non hominem

A 2

habu-

habuisset in his terris præconem operum suorum. Atat hoc illud est Luciani in Prometheo: nisi fierent homines, jam futurum erat, ut omnis cunctarum rerum decor esset sine teste; sequens itidem Aristotelem Politicor. I. cap. V. Si natura nihil neque imperfectum facit, neque frustra, necesse est, hominum causa hæc omnia fecisse naturam.

IV.

Interim neque tralatitium, uti sentit magni nominis Pufendorfius J. N. Lib. IV. c. III. § 2. potius evidens & perspicuum opinamur, a DEO omnes creaturas in usum hominum conditas. Loquatur Des-Cartes, cujus textu velideo utimur, quod alias non amet rationes circa res naturales à fine quem Deus aut natura in iis faciendis sibi proposuit defumere, vid. Part. I. Principp. n. XXIIIX. quodve inter Cartesianos quosdam Wittichius verbis Osiandri adducto loco jure vapulet negans; omnes res creatas destinatas esse secundario ad homines. Verba Renati Des-Cartes IV Principp. n. III. ita fluunt: Quamvis enim in Ethicis sit pium dicere, omnia à Deo propter nos facta esse, ut nempe tanto magis ad agendas ei gratias impellamur ejusque amore incendamur; ac quamvis etiam suo sensu sit verum, quatenus scilicet rebus omnibus uti possumus suo modo; saltem ad ingenium nostrum in iis considerandis exercendum, Deumque ob admiranda ejus opera suspiciendum: nequaquam tamen est verisimile, sic omnia propter nos facta esse, ut nullus alius sit eorum usus; essetque plane ridiculum & ineptum id in physica consideratione supponere; quia non dubitamus, quin multa existant, vel olim extiterint jamque esse desierint, quæ nunquam ab ullo hominum visa sunt aut intellecta, nunquamque ullum usum ulli præbuerunt.

V.

Ut vero distinctius procedi possit, non dissimulamus
ita

ita nos statuere: videlicet summus rerum opifex ac Dominus omnia, ipsum hominem, sui causa, si gloriam, non necessitatem spectes, liberrime produxit; vid. B. Scherz. System. Loc. III. §. XIV. Quia tamen ipse nulla re extra se indiget, neque per alias res ipsius beatitudini ulla potest accessio fieri: inde sua ipsum bonitas facilem esse subegit, ut creaturis suis ex se invicem utilitatem capere concederet Puffend. c. I. Potissimum erga humanum genus eoque benignum sese exhibuit, ut omnes creaturas alias in usum hominum elargiretur.

VI.

Heic tantisper subsistendum, ne concessio usus & domini, homo integer & lapsus confundantur. Nimirum Numen æternum alias creaturarum ordinavit ad usum ministerii sui apud homines; huc pertinent Angeli, Cælum, Stellarum vortices, Sphæræ item elementorum. Omnium horum scientia homini integro voluptati fuisset, quorum consideratio admirationi lapsa, utrisque stimulus est ad celebrandum Creatorem. Favet Scriptura Deuter. IV. 19. ad Hebr. I. 14. 1. Cor. III. 22.

VII.

Alias vicissim, qua Deus est clementia, Dominio hominis subesse voluit, quibus uteretur ad necessitatem, frueretur ad commoditatem, quorsum elementorum vicinæ partes, plantæ insuper ac mineralia spectant; quibusve uteretur frueretur ad servitutum, uti potissimum in animantibus brutis deprehenditur. Dominium illud cum integro tum lapsa non tantum expressa voce commisit, illi Gen. I. 26. 28. sqq. subjicite terram &c. huic Genes IX. 2. terror vester erit &c. sed & facto ipso declaravit, ad integrum (Adamum) adducendo cuncta animalia, Gen. II. 19. lapsa (Noë) in arca secure subjiciendo terrestrium ac volatilium species, Genes.

VII. 8. demonstrante B. Dn. D. Alberti Comp. J. N. Part. II. cap. VII. §. 4 qui ipse accuratissime, ut solebat semper, discrepantiam modi, quo integer, quoque lapsus concessio domino erat usus §. 5. atque 6. interpretatur, tandem finiens: Dominium tam extensive, quam intensive perfectum olim, hodie imperfectum.

IIX:

Nos de Officiis hominis in statu & vita, qualem lapsus degit, solliciti, utut Christiani cum simus, ad scripturam & statum integritatis causa illustrationis respicere, præcuntibus omnibus Juris Naturalis Scriptoribus, nihil dedecet; talem fundamenti loco substernimus definitionem: *Officium circa res humana sorte haut comprehensas est obligatio hominis, ut recte rationi convenienter rebus istis ad necessitatem, delectationem, servitutem & quacunque alia comoda sic utatur, quo DEI gloria & celebratio, nostrorummet emendatio, tranquillitatisque cum aliis conservatio ubique effulgeat ac resplendescat.*

IX.

In allata ista definitione, quod porro explicaremus nihil, nobis quidem, occurrit. Unica obligationis vox cancellis suis circumsepienda. Scilicet non obligatur homo rebus extra sortem suam constitutis; sed devinctus tenetur, partim sibi, partim proximo, in universum autem Deo Creatori circa res ejuscemodi: ad quod discrimen cum in inscriptione dissertationis, tum & thes. I. statim respeximus. Pertinent huc, quæ incomparabilis Dn. Pufend. J. N. Lib. IV. cap. III. de brutis potissimum & plantis disputat. Nempe

§. III.

§. III. ita scribit: Si consideremus facultatem humani generis in ordine ad ipsas res & animantes, quibus homo utitur & abutitur; sane quod illud cum ipsarum injuria non sit conjunctum argumento esse potest tum hominis natura, tum Creatoris concessio. Neque enim probabile videtur, ab optimo & sapientissimo Creatore homini, primariæ inter terrenas creaturæ, talem injunctam necessitatem, ut seipsam citra alterius injuriam, quæ utique non potest non peccato esse sociata, conservare nequiret &c. Conferatur omnino §. ibid. V. ubi hæc de brutis leguntur: Nullum hominibus brutisque jus nullaque obligatio invicem intercedit, nec per naturam intercedere debet. Nam neque lege naturali pro imperio nobis injunctum deprehendimus, ut cum brutis amicitiam & societatem colamus; neque illa obligationis ex pacto oriundæ adversus homines sunt capacia. Tandem §. VI. in genere ita pronunciat: Uti singularum civitatum interest, ne quis re sua male utatur; ita & in detrimentum universæ mortalium societatis, & in contumeliam Creatoris, qui tanti muneris est Autor, vergit, inutiliter & petulanter ista perdidisse.

X.

At satis ista quoad generalem explicationem fuerint. Ad specialia, quantum compendiaria hæc tractatio tulerit, nos convertemus. Acturis autem primo statim loco de obligatione hominis circa Angelos nihil obstat, quod de illorum existentia non quidquam omni exceptione majus ex natura cognoscatur; sufficit, gentilibus five ex traditione, five per conjecturas multum innotuisse; vid. Vossius de Idolatria Gentil. Lib. I. cap. VI. & VII. Christianis vero longe plura ex verbo DEI constare,

XI.

Officia nostra, commissiva quidem, eademque in theoria,
 circa Spiritus istos, potiora sunt: admirari sapientiam atque
 potentiam æterni Numinis, cujus adeo nutum tam sapientes
 tam potentes creaturæ obsequiosissime intueantur, uti olim
 solo illo ex nihilo productæ prodierunt: *in praxi vero;* ve-
 nerari bonitatem & clementiam Patris cœlestis celebrareque
 ipsum, quod tanto præsidio in omnibus viis nostris, in vita
 & morte, contra ipsos etiam malignos spiritus nos commu-
 nire fuerit dignatus: Revereri eundem quicquid etiam aga-
 mus aut moliamur cum ob omnipræsentiam ejus, tum quod
 testes nobis adjunxerit atque inspectores indivulsos angelos
 bonos, aliàs frœna laxaturus Cacodæmoni rictu minaci ho-
 minibus ubiubi inhianti. Elegantia multa in hanc rem,
 Apulejus differit libro, inter citata S. Augustini toties com-
 parente, de DEO Socratis. Transcribemus aliqua, utut
 intermistas auro scorias despuentes. Cæterum sunt quæ-
 dam, inquit p. m. 427. divinæ mediæ potestates, inter sum-
 mum æthera & infimas terras in isto intersitæ aëris spatio, per
 quas & desideria nostra & merita ad Deos commeant, hos
 græco nomine *δαίμονας* nuncupant, inter mortales cœlico-
 lasque vectores, hinc precum, inde donorum. Ex hac, ita
 pergit p. 436. sublimiore Dæmonum copia Plato autumat, sin-
 gulis hominibus in vita testes & custodes singulos additos,
 qui nemini conspicui, semper adsint, omnium non modo
 actorum testes, verum etiam cogitatorum. Ac ubi vitâ edi-
 tã remeandum est, eundem illum, qui nobis præditus fuit,
 raptare illico & trahere velut custodiam suam ad judicium,
 atque illic in causa dicenda adsistere; si qua commentiatur,
 redarguere; si qua vera dicat, asseverare; prorsus illius te-
 stimonio fieri sententiam. Addi meretur ibidem statim
 se-

sequens Apuleji monitum, his verbis: Proinde vos omnes, qui hanc Platonis divinam sententiam me interprete auscultatis, ita animos vestros ad quæcunque vel agenda vel meditanda formate, ut sciatis, nihil omnino præ istis custodi- bus, nec intra animum, nec foris, esse secreti: quando omnia curiose ille participet, omnia visat, omnia intelligat, & in illis penitissimis mentibus vice conscientiæ diverfetur.

XII.

Omissiva inter officia itidem *in theoria*, eminet reliqua tantum non omnia complectens illud: Ne curiosius scrutemur circa Spiritus illa, quorum vestigia in verbo DEI nulla, in paganorum scriptis lubrica, in quorumcunque magicis diabolica. Specimina illicitarum hujusmodi curiositatum serie longa commemorare velle ipsum hoc contra officium arbitramur. Obferentur numeris non exiguis illi, qui Schotti Physicæ curiosæ libros priores duos, alterum de mirabilibus Angelorum & Dæmonum, de mirabilibus spectrorum, alterum evolverit. Proximum est: ne ab isto excessu ad defectum prolabamur, ea quæ abs Angelis proficiscuntur, præsertim dæmoniaca, naturalibus causis sollicite tribuentes cum Joanne Wiero in Libris VI. de præstigiis Dæmonum; scrupulosius in dubium vocantes cum quibusdam Reformatæ religionis; aperto Marte impugnantes ac destruentes cum Reinoldo Schotto Anglo, Antonio van Dalen libro de Oraculis, & novissimo Vortumno fascinatore Balthasare Bekkero in libro belgico, the betoverde vveereld ipsismet suæ religionis Doctoribus multum in viso. Conf. quæ in compendio habent Act. Erud. Lips. ad annum M DC XCII mense Januario p. 19. sqq. imo deinceps passim.

XIII.

In praxi officii omissivis accensemus, ut caveatur (I) Cul-
B
tus

rus Angelorum adorationis, invocationis atque subjectionis: hos utpote religiosos Deus soli sibi reservavit Deuter. VI. 13. Matth. IV. 10. Angeli boni prohibent Apoc. XIX. 10. XXII. 8. 9. ratio sana ipsis non deberi agnoscit. Sane si Commissario Regis ad ruricolos subditos hi quamvis primicerio, majestatem, nihil detrectanti tribuerent, annon utrilibet criminis læsa majestatis rei agerentur? Angeli sunt Commissarii Dei à regia cœlesti ad nos ruricolos subditos ablegati. Optime in super Vossius Idolol. Gentil. Lib. I. cap. IX. observat; veteres non alium Angelis honorem exhibuisse, quam quod præclaram eorum naturam, & erga se adfectum agnoscerent; eoque nomine amarent, prædicarent, & pro exemplo sanctimoniam sibi proponerent; id omne partim ex Synodo Laodicensi & vetustis ecclesiam Smyrnenensis Actis, partim ex Theologis veteribus demonstrans: qui vir eruditissimus ibidem cap. II. X, cultum malorum Spirituum confodians, eum apud Tapujarum gentem in occidentali India frequentatum graphice describit & deplorat.

XIV.

(II.) *Cavenda* contaminata dicam an arrogans *superstitionio*: Hominem Angelos, bonos & malos, imperio suo posse subicere. Sic quidam ex Rabbis citatus à Gisb. Voëtio Dilp. Selectar. P. III. p. 548. Salomoni spuris scriptis nixus tribuit, quod imperium habuerit in Angelos; quam autem perverse, quam fraudulentè vide sis apud Wierum de præstigiis Dæmonum Lib. II. c. III. p. m. 141. Quin talismodi scripta se ipsa è vestigio produnt, dum aut chimaericis præstigiatoribus v. g. Fausto, aut sanctissimis Dei viris falso adscribuntur. Certe libellus, cui titulum claviculæ Salomonis fecerunt, in primo statim limine, autorem monachum aliquem Romanensem sive deceptorem sive necromantam ipse demonstrat.

strat. Perinde Nicolaus Egmondanus apud Balæum de vitis Pontificum in Clemente VIII, de Pontifice Rom. dixit: Papa habet imperium in Angelos & Dæmonas. Neque mirum; etenim Clemens V. (Gerhardus in Confess. Catholica Part. II. Spec. Lib. II. artic. III. append. p. m. 720. sextum numerat) in bulla indulgentiarum super anno Jubilæo 1350 mandavit Angelis; ut animas morientium in via Romipetarum à purgatorio penitus absolutas in Paradisi gloriam introducant. Bullam istam ex M. S., quod Ultrajecti servatur, Joh. Hoornbeckius edidit. Huc pertinet juramentum obedientiæ, quod Diabolus (vocat quidem se Spiritum bonum) principi alicui præstitit cujus formulam Jacobus Ebertus in Historia Juramentorum p. 52. sqq. exhibet, celeberrimo Dn. Becmanno in Colleg. M. S. ad Meditat. Politicarum cap. V. observante; Historiam illam singularem apud nullum alium autorem reperiri, Principis etiam istius familiam adhuc hodie superesse. Quasi vero Angeli ulla hominum vi, absque DEI auxilio, de quo tamen temerariis & perversis neque ex ratione, neque revelatione ulla spes adfulget, possent coërceri; aut quasi diabolus ullius rei amittendæ metu valeat adstringi ad servanda quæ promisit, pactus est, juravit. Ostendit etiam Georg. Pictorius Libro de Dæmonibus sub collimitio Lunari versantibus p. 49. sq. quod Dæmones malis tantum hominibus neque tamen omnibus obediunt, obsequio simulato, ut eos decipiant & ad se alliciant.

XV.

Observatis quæ hæcenus commemoravimus omnis **Magia** superstitione innixa, utpote salutem hominis funditus evertens, damnanda est & abominabilis, atque *inter enixissime cavenda Illium locum* occupat, sive alba vulgo au-

B 2

diat,

diat, veteres Theurgiam dixerunt, sive nigra, olim Goëtia vocabatur; sive pacto cum diabolo manifesto sive involuto fulciatur; quocunqve demum nomine, censu, aut proposito coloretur, roboretur. Ejus definitionem legas apud Voëtium l. c. p. 543. postquam discrimen inter Magiam naturalem, mathematicam, circumforaneam s. sacculariam, atqve superstitiosam præmisisset; hujus vero partes speciales longe plures Pictorius antea nominatus recenset atqve refellit. Quin Augustinus jam tum de Magiæ vel albæ vel nigræ deditis Lib. X. de Civit. DEI cap. IX. ita graviter pronuntiavit: Sunt utriqve ritibus fallacibus Dæmonum obstricti sub nominibus Angelorum.

XVI.

Addere potuissemus *cautelam IVtam*: nempe Spiritus qui apparent, merito nobis suspectos esse debere: non esse cum illis sermones conferendos; nihil ex ipsis discendum; nisi argumentum istud Lavaterus de Spectris part. III. c. VII. p. 240. sqq. accurate pertractasset; conferantur apud eundem cap. præcedens VI. & sequentia VIII. atqve IX. Cæterum quomodo contra spectra precibus, sobrietate, vigiliis, vitæqve probitate munire nos debeamus ex verbo DEI optime intelligitur.

XVII.

Circa Cœlum, Stellas, elementorumque sphaeras quid officii ad hominem pertineat, nunc cursim attingendum. *Præstationes* (liceat cum Jctis loqui) *Commisivas* partim *in theoria*, partim *in praxi*, palmares nempe, istas arbitramur: intueri, admirari, scrutari tam splendida & pulcra, tam vasta longeque protensissima, tam concinna, tam perennia omnibusque his sublunaribus innumeras commoditates gignentia corpora; Opificis illorum majestatem agnoscere, sapi-

sapientiam admirari, potentiam, utpote qua tantis instrumentis ad exitium nostrum è vestigio uti valet, metuere, clementiam grata prædicatione devotaque veneratione porro conciliare: Inventa quoad leges motus variasque utilitates dictorum corporum humano generi non invidere; ipsa illa ulterius excolere, ac pro virili parte adaugere, promovere. Manuducimur ad præstationes commemoratas non tantum illo Davidico Psal. XIX. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum; sed ipsis quoque Ethnicis, viam demonstrantibus v. g. Seneca, Epist. XCIV. scribente: erexisse naturam vultus nostros, & quicquid magnificentum mirumque fecerat, videri à suspicientibus voluisse.

XIIX.

Inter præstationes Omnisivas itidem vel in theoria vel in praxi collocamus: Ne adductis corporibus, aut ipsi ex istis coagmentato universo divinitatem cum tot olim atque hodie populis, uti plenissime apud Vossium de Idolol. Gentil. toto Lib. II. observare licet; animam cum Pythagoræis, Platonicis atque Aristoteleis; infinitatem sive infinitionem cum Anaximandro, Democrito, Jordano Bruno, & Renato Des-Cartes, de quo ultimo DN. Præsidis de Individuis Corpusculis Dissertatio th. XXVIII. seq. conferri potest, vindicemus. Quam etiam nulla est v. g. de elementis sequens Ethnicorum illatio: si parentes colendi, quia illis originem debemus, quanto magis cultus est exhibendus elementis, unde parentes ipsi, & omne humanum genus æque ut cætera ortum suum ducunt! Mitius forte sentiendum de his, qui membra, quæ honestas regi vult, inter excernendum ad Solem aut Lunam denudare verentur, præterquam enim quod res ad exuperantiam verecundiæ spectet, rationes

physicæ intercedunt, si quidem verum, quod masculo prius
 mingente, dum Luna partes, quibus vir est, licet per fenestras
 collustret, mox coëunte cum foemina, hæc molam utero
 concipiat,

XIX.

Illicita quoque pronuncianda Chaldaeorum praxin referens
divinatrix Astrologia, qua ex sideribus de futuris omnibus
 nonnulli haut aliter pronunciant, quam si humani quidam
 Joves forent. Eo vesania prorupit temerariorum impudentia,
 ut non tantum incarcerationum, præliorum, committendorum,
 condendarum urbium, ædificiorum, struendorum, coronationum
 regiarum, ineundi matrimonii &c. cum Gvidone Bonato de Forlivo;
 sed & Christo Servatorinato themata cum Cardano erigant, ea
 quæ à voluntate humana, quin & solius DEI arbitrio pendent,
 ad constellationum influentias stulte revocantes. Hos DEUS
 execratur Deut. XII. 10. sqq. Jes. XLVII. 13; Concilium
 Braccarense I. Can. IIX. anathema esse jubet; Romani gentiles
 prius, post Imperatores Christiani, Theodosius & Justinianus
 urbe ejici præceperunt; Tacitus Lib. I. Hist. genus hominum
 vocat potentibus infidum, sperantibus fallax; ipsi Astronomi
 experientissimi, Keplerus, Gassendus &c. inter deliros; tritum
 illud: tantum mentiuntur Astrologi quantum metiuntur Astronomi,
 inter mendacissimos connumerat, Confer. omnino Barclaj. Argen.
 Lib. II. c. XI,

XX.

Non abs re crediderimus; illam magicam diabolicam
 (magia vero in universum damnata fuit th. XV.) qua venefici
 elementa in tempestates concitant, navigantibus ventos
 secundos divendunt, stas diebus, & horis planetariis incantationes
 peragunt, vix aliam Matrem quam Astrologiam

am



am istam habere. Neque ut opinamur fuit adeo insan-
 Xerxes, ut ex iracundia, quod habet Plutarchus de non ira-
 scendo, aut fastu motus, quemadmodum aliis placet, stig-
 mata æquori & verbera infligeret, mitteretque ad montem
 Athon epistolas: fuere incantamenta. Hæc ipsa, neuti-
 quam simplicitas, fundamentum sunt istius juramenti, quos
 Reges quosdam in Brasilia subditis inaugurationis tempore
 præstare oportet: nimirum ipsos curaturos, ut sol justo
 tempore splendeat, pluvix defluant debita copia, terra quo-
 que fruges ex voto subditorum proferat &c.

XXI.

Instituendum nunc officiis *circa vicinas elementorum par-*
tes circaque meteora & mineralia aliquantum diutius foret;
 verum ea ex hæcenus dictis maximam partem intelligun-
 tur. Id discriminis se offert thes. VII. notatum, quod classi-
 um harum corpora non solum usibus hominum destinata;
 sed dominio quoque subesse apta nata sint pleraque, secus
 quam in superius lustratis comparatum fuit. Quoniam ve-
 ro ad omnimodum vel usus vel domini circa res tales exer-
 citium nemo tenetur, illud quoque distinctæ possessiones,
 leges itidem superiorum sæpius vetant; *ista* tanquam *pre-*
cipua, eademque *majori parte omisiva officia* pullulant: Non
 affectare monarchiam universalem terra vel mari, foret
 quippe illa major longe, quam activitatis sphaera unius ho-
 minis, hanc sive jure sive viribus dimetiari: Non dene-
 gare officia innoxix præstationis fratri quamdiu tales sunt;
 scilicet ut territorium nostrum, mare item nostrum per-
 transeat, in eo piscetur, ut ab igne nostro ignem accendat,
 aqua nostra ad ipsius limites alveo provolvatur, aëre salubri-
 ore aut aliis usibus commodo perinde fruatur &c. Atque
 hæc circa elementorum vicinas partes, quas circa plura
 inno-

innotescant legenti Grotium Tr. de Mari Libero, Seldenum de Clauso, consultiss. atqve excell. Dn. D. August. Bened. Carpzov. Dissertat. cui titulus: Jus circa aërem.

XXII.

Meteora & mineralia quod concernit, devitanda circa utralibet *superstitio & quae illam consequuntur*, v. g. quando ignes fatuos inversione mitræ, tunicæ, aut chirothecarum; optime imprecationibus diris abigi: campanulis eum in finem consecratis fulgurantes mitigari tempestates, nonnulli autumant. Talia passim apud Meteorologiae scriptores consignata occurrunt. *Sigilla* metallorum & lapidum, quæ Cardanus de rerum varietate Lib. LXXXVI. cap. XVI. mirifice extollit, (conferatur Kircherus Mundi Subterr. Lib. IIX. Sect. III. cap. VI.) Theophrastus Paracelsus tract. de medicina cœlesti, scelestâ propemodum scripsissem, additis figuris, tantopere crepat, si non magiæ, certe superstitioni, si non huic, certissime ludibriis fallaciisve debentur. Posthabendum quoque illorum institutum, quos mente Croesos, marsupio Iros, larva detracta impostores, auri-coquos an coctores dicam? viri principes toties experiuntur. Quin e re humani generis neutiquam foret, si *chrysopeetarum conamina* justam & expeditam artem procrearent. Tandem ab officio hominis aliena tot specimina *luxus*, abusu mineralium, metallorum maxime ac lapidum, frequentata: estque ridicula vanitas, opum tantarum dilapidatione lapillos, gemmas vocant, conquirere, qui mallei uno vel altero ictu in scobem redacti terra adparent pulverulenta, mox nihil.

XXIII.

At' subintrandum nobis *vegetabilium*, ut adpellant, *regnum*, in quo usu & dominio tantum non liberrimis liberrima

ma

ma creaturarum animantium perfruitur. Videlicet sine
 plantis uti animalia pleraque, ita homines vitam nequic-
 quam tuerentur. Hæc cibos nobis præbent & necessarios &
 sapidissimos, potus omnis generis delicatissimos Ps. CIV. 14.
 scq. aromata & olea utilissima, præstantissima medicamenta,
 amicula commodissima, tutissima terra marive habitacula, &
 quid non dum ignem nobis alunt, omnes sensus, auditu exce-
 pto, suavissime demulcent, plerasque necessitates sublevant?
 In hoc regno tanquam penu, cella, myropolio quin Paradiso
 humani generis omnia licent in theoria & praxi: disseccare
 plantas cultro anatomico, ut facem prætulere Nehemias
 Grevy & Malpighius; resolvere igni commissas cum Che-
 micis; scrutari naturalem Phytognomonicam cum Jo. Bapt.
 Porta; tentare varias insitiones; parare virgulas metallo-
 scopicas; spargere flores bene meritis &c. Ista interim à no-
 bis probe observanda, ne usu in abusum degenerante læda-
 mur ipsimet, ingurgitando; turbentur alii, in tales res invi-
 tis dominis involando, eas temere perdendo Deuter. XX. 19.
 aut ut noxiæ fiant adhibendo; neve offendatur Deus, vege-
 tabilia in usus vanissimos convertendo: quorsum, quæ de
 radice Baaras Josephus de bello Judaico Lib. VII. cap. XXV.
 Cicorii Pictorius l. c. p. 77. Mandragoræ Plinius Hist. Nat.
 Lib. XXV. cap. XIII. vel nugantur vel referunt, quin tota
 Botanomania superstitiosa pertinent. Cæterum Andreas
 Hardt scripsit den Geist-und Weltlichen Gartenbau / in quo
 libro, quam verum sit illud: Præsentem loquitur qualibet
 herba Deum; feliciter exposuit.

XXIV.

Prodeant nunc in scenam *bruta*, ut quid circa illa liceat
 vel non evincatur. Id vero minus prospere tentabimus, ni-
 si prius, quæ brutorum sit conditio fuerit demonstratum.

C

Duæ

Duæ autem sententiæ extremis oppositis partibus innixæ observantur. Altera in defectu peccat ipsos brutis sensus derogans ideo, quia sensus absque mente dari nequeant: Hanc olim Strato & Ænesidemus; superiori seculo Gometius Pereira, philosophus ac medicus Hispanus; hoc nostro Renatus Des-Cartes & sequaces suam fecerunt. Vid. DN. Præsidis dissertationes de Sensatione an in solo fiat cerebro, item de Identitate sensationis & cogitationis. Vicissim altera, docilitatem brutorum, ipsam loquelam, præfagia tempestatum, prudentiam aliasque virtutes in Scriptura etiam laudatas, poenas in super quibus in ipsa cum sacra tum profanae leges animadverti jubent urgens, consensu Patrum aliquot Ecclesiæ innumerorumve prisca atque recentioris ætatis Philosophorum fulta pro facultatibus rationis acriter decertat. Neutrius momenta tanti sunt, ut iisdem persvaderemur, cum in priori vel nostri sensus, in posteriori sana ratio falsitatem manifestam deprehendant, quod utrumque in Physicis prolixius disputari ad solet. Itaque ad theses hujus nostræ dissertat. VII. & IX. provocantes, bruta, creaturas sensitivas, infra sortem nostram dejectas res dominioque nostro ad rationales usus & servitutem summi Creatoris providentia subiectas esse, prorsus agnoscimus & affirmamus.

XXV.

Fas ergo homini: captare animalia, quotquot dominio particulari nondum vindicata constat, aucupando, piscando, venando & modis quibuslibet. Fas: capta mansvefacere vi etiam adhibita, mansvefacta varia disciplina exercere, ut canes excubiis actis domum gregemve custodiant, feras infectentur, Domino contra aggressores ferant suppetias; ut elephanti funambulos imitentur, principes genibus flexis colant; ut ursi saltatorium versent orbem; equi arma & tormenta

menta contra eant; simii agyras, psittaci vocem humanam, aviculæ musica instrumenta referant &c. sive ad lucrum sive ad oblectationem ejus in cujus potestate hærent. Pari jure, nos ipsos ut vehant, sarcinas portent, currus, trahas, navigia, molas, machinas agitent, agrum vomere & occa vertant quoquo modo adigentur. Fas ova & lac in cibum ac potum, in vestitum lanam pilos & plumas, excrementitias partes in usus medicos adhibere &c.

XXVI.

Utrum vero *exanimare bruta comedere itidem carnes matatorum concessum*, peculiaris quæstio enascitur? Pythagoras præsertim, & qui hodie adhuc in Orientali India placitis ejusdem adstipulantur Benjani, negativam facto ipso adstruunt, adeo religiose necem animalium teste DN. de Mandelslo Itiner. Lib. I. cap. VII. & XXXVII. caventes, ut ne quidem pediculos & pulices interficiant, aut noctu candelam facile accendant, ne culex aut papilio forte comburatur. Uti vero hanc religionem, opinio de anima mundi, deque transmigracione humanarum peperit; ita cur rex Calechuti ejusque aulici & honoratiores cives, (plebs enim carnibus occisorum vescitur) abstineant esu animalium quibus mortem vis attulit, sequentem Aloysius Cadamustus Navigationis Cap. LVII. rationem illorum profert: Christum, Deum Omnipotentem, sententiam tulisse; ut gladio ferienti gladio sit pereundum.

XXVII.

Existimamus autem nos; si unus vel alter, omnino posthabitis spuris Pythagoræorum causis, vacare tamen à cædibus esuque brutorum hodie vellet atque posset; id instituti utpote mitem animum prodens plus laudis quam vituperii obtenturum; quotus enim quisque non tacite fa-

rit homini, cuius se ad aliqualem, dum animal cruenta caeditur, *συμπάθειαν* animus componit? Cæterum indultus nobis iste dominii gradus, ut in brutorum vitam grassari necessitatibus nostris commodisque exigentibus plane sit integrum. Sic licebit ipsa neci tradere, quo vitam esu carniū alamus; ut obvelemus nuditatem pellibus; imo ut impediamus, ne crescente illorum copia vel vitæ vel victui nostro ægre faciant, optime DN. Pufend. J. N. Lib. IV. cap. VI. §§. 5--8. quibus venationis leges investigat observante, Digladientur vero inter se post tot alios Steph. Curcellæus in Diatrib. peculiari de Esu sanguinis, & Jo. Henric. Heidegger, singulari tract. de libertate Christianor. à lege cibaria, utrum antediluviani cum integri tum lapsi carnes in cibum assumere siveverint? sufficit habuisse potestatem. Philosophentur contra *κρωφαιαν* Plutarchus à vitiosa naturæque adversa ejus origine, Anton. le Grand Institut. Philos. Parte IIX. Cap. V. num. X. seqq. à conformatione oris humani ac dentium, adpetitu puerorum, alii aliunde petitis argumentis, quorum aliquot invenies apud Pufend. l. c. cap. III. §. 4. satis est, manere homini, maxime hoc rerum statu, optionem liberam: etenim hoc inficias ire nolumus, rectius forte consultum valetudini fuisse ac longævæ vitæ, si carnes esitare invaluisset nunquam.

XXIIX.

Neque minus viva ejusmodi animantia castrare, tractare igni chemico, anatomico disseccare cultro concessum opinamur, nimirum ut vel integra, vel sanguis, pinguedo, cerebrum partesque exemptæ aliæ certum emolumentum præsertim autem medicinam ægris præstent; vel etiam ut medicorum ac chirurgorum experientia in salutem generis humani in dies magis augeatur atq; magis. Habita est in hac Alma

ma

ma A. M DC LXIII. sub præsidio Magnifici tunc temporis Ordinarii DN. D. Georgii Tobiaë Svvendendörfferi disputatio de Anatomiaë licentia, in qua quidquid huc spectare poterat, nervose at solide consignatum observare licet.

XXIX.

Dedimus declaratum, quid liceat circa bestias: addendum quid circa easdem deceat, quid dedeceat; vel stylo priori, quæ porro Commissiva, Omissiva quænam exigantur officia: omne vero istud brevibus. *Decet* hominem, *in theoria* quidem, scrutari naturam animalium, mirari sapientiam opificis, agnoscere largissimam erga nos providentiam; *in praxi*, gratias Deo agere pro omni illa prerogativa quam nobis præ animantibus cæteris benignissime fuit largitus; curare quo minus animal nostrum (verbis Jctorum) pauperiem faciat; domesticis pecudibus de necessario prospicere alimento; in universum autem cogitare, actus omnes nostros esse debere rationales, confer th. XXIV. perpendere, quod bruta creaturæ Omnipotentis, tot aliis perfectiores, intra misericordiæ nostræ spheram, ipsius Scripturæ testimonio consistant. Prov. XII. 10. Confer. Deut. XXII. 6. ubi expressis verbis interdicitur, ne invento nido cum pullis mater intercipiatur. Ut ut autem, notante Camerario Operar. Subcisiv. Centur. II. Cap. LXXX, reperiantur, qui judicent, prohibitionem Mosaicam ideo factam, ut vetaretur superstitio illorum, qui existimabant, contra sterilitatis maleficium vel odii inter conjuges prodesse, si quis nidum inveniens caperet ipsis cum pullis matrem; aliud tamen contextus verba inferunt, maxime si locus Levit. XXII. 27. seq. alia insuper citata à Pufend. l. c. §. 6. jungantur. Quid quod Athenienses pœnam ab eo exegerint, qui vivo arietem pellem detraxerat; ab alio Lacedæmonii quod à teneris delectare-

tur coturnicibus eruere oculos sicque excœcatas dimittere? Thuanus quoq; suspicatur Lib LVII. ad annum M D LXXIII. Carolum IX. Galliarum regem hinc, quod venationibus nimium quantum deditus in ferarum occisarum sanguine manus abluere volupe duceret, tantam animo suo ferociam intulisse. Turcorum gens, immanis alias ac barbara indulgentem se præbet erga omne animantium genus, sic ut quidam Constantinopoli aurificem Venetum, quod avem vivam, ad spectu fœdam licet, supero limini januæ passis alis affixisset, arreptum obtorto collo ad iudicem rerum capitalium indignabundi traherent, Busbeq. Epist. III. p. 132. seqq. edit. Wecheliana. Præsertim felibus, exemplo Muhammedis favent, cui ut referunt, sic in deliciis felis fuerit, ut, cum lætitante eo in mensa, super manicam ejus obdormivisset, tempus autem ad rem sacram in templum vocaret, abscindere sibi manicam maluerit, quam feli somnum turbare. Plura lectu non injucunda Camerar. de mansuetudine erga bruta animalia curiose congeffit l. c. Centur. I, cap. XXI. Centur. II. cap. LXXIX. seq. XXX,

Contra *non una* se offerunt quæ *cavenda* homini, ipsumque omni ratione *dedecent*. Principio quidem ad orcum relegandus totus aruspicinæ, auspicii & incantationum apparatus. Dein abhorrendum à consuetudine cum bestiis, qua qui se contaminant, pro bestiis furentibus haberi delerique ex communiione hominum debent. Porro nullus ipsis *religiosus cultus* decernendus, quod quidem per Dei gratiam inter Christianos haut facile metuendum, cum tamen nulla propemodum species brutorum inveniatur, cui suus aliquis religiosus honor olim aliquando non constiterit uti vel ex solo Vossio de Idolol. Gentil. potissimum III. & IV. libro colligere est. Ejus pudendæ idololatriæ causam non tam simplicitatem hominum aut merita animantium, quod com-
muni-

muniter statuunt; quam Cacodæmonis astutam praxin, ut vel in corpore, vel in figura, jam hujus jam istius animantis compareret, responsa daret, coli vellet, subesse non vana conjectura opinabimur. XXXI.

Imo vero, ne *civilem* quidem brutis *cultum* exhibendum, vel inde manifestum, quod fundamento honoris, excellentia nempe virtutis atque meritorum non solum destituantur; verum nec honorum finem, sive in ordine ad se ipsa, qui est stimulus & incitatio ad virtutis nova specimina; sive in respectu ad nos, qui vix alius quam gratæ mentis demonstratio existimabitur, attingere valeant. Quando igitur Calechutani Cadamusto teste l. c. manum, qua prætereuntes boves venerabundi tangunt, deosculantur; Reges Siam, Schoutenio autore descriptionis regni Siam p. 751. cum elephantis albidis tanquam Reges forent conversantur; quando quædam gentes canem, gallum &c. Reges sponte sibi constituerunt; aliæ autoritate atque vi summi magistratus coactæ bruta titulo principum ac præsidum acceperunt; Vid. Magnifici hoc tempore Academia nostræ Rectoris Dn. L. Schmidii Dissertat. A. M. DC LXXXVI. habita de honore brutis non competente §. XI; omnis illa & similis perversissima praxis aut superstitioni th. præcedente intimatæ, aut infesto Regum in subditos animo prorsus fuerit transcribenda.

XXXII.

Progredemur ad istos nunc honores, qui in pompa funebri cadaveris brutorum pretiosissimisq; ad memoriam erectis monumentis consistunt, hos ab officiis nostris alienissimos esse demonstraturi; nisi vanitatis totius absurditas se ipsam, minimum per argumenta modo allata, proderet, exemplorum etiam uberrima suppeditaretur messis apud autores in laudata Dissert. §. XV. seq. citatos. Sic Lacydem Philosophum anferem, qui ipsi perpetuus comes ita adhæserat, ut nec domi nec foris ab eo discederet, elatum funere, effusis lacrymis sepelivisse Plin. Hist. Nat. l. b. X. cap. XXII. prodit. Idem quo adparatu lugubri a Romanis corvus, qui Tiberium & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutaverat, sumto ab ejus occifore capitali supplicio,

cio, honestatus fuerit, ibid. Cap. XLIII. describit. Alexander etiam M. Bucephalam & Peritam urbes, hanc ut canis ejus nominis, illam ut equi memoria perennaret, splendas exstruxit. XXXIII.

Aliud tamen fuerit, bruta ob egregia commoda, quæ in nos ab iis redundarunt, lautius paulum quamdiu vivunt atq; levata ulteriori ministerio habere; ac in demortua, recordationis periculorum causa e quibus nos eripuerunt, vel oblectationis licitæ ingeniiq; experiundi gratia modo carmine modo pictura jocari: etenim pictoribus atq; poetis &c. Ita Fr. Svertius in deliciis selectis Christiani orbis p. 684. picturam describit equi albentis suo tempore spectatam carmenq; additum in equili Bruxellensi Archi-Ducis Alberti. Nomen equo Nobilis fuit; eduxerat autem feliciter Albertum prælio ad Ostendam ab hostibus agnitum & jam fere captum, mortuusq; fuerat anno uno post ipso die prælii recurrente. Pariter Justus Lipsius tres canes magnitudine discretos in pretio habens, parvum Saphyrum; majusculum Mopsulum; magnum Mopsum, in tabula depingi & notas ac carmen cuique subscribi jussit. Cum vero Saphyrus in aheno aqua fervente pleno casu extinctus esset, in horto inter flores terræ intulit, carmine insuper atq; inscriptione tumuli confectis. Vid. ipse Centur. ad Belgas I. Ep. XLIV. p. 187. seqq. & Centur. III. Epist. LXXXIX. p. 498. seq. Cercopithecii epicedium Dan. Heinsius ad Petr. Scriverium concinnavit, quod legere est Sylvar. Lib. I. p. 29. Quamvis non dissimulemus, & heic excedi solere.

XXXIV.

Obversabatur animo, attexere officia hominis circa res artis industria productas, ut circa templa, aras, cœmiteria, cippos, habitacula Regum, thronos, carpenta, naves, tentoria, nummos, vestes, statuas, hortos, aquarum ductus, bibliothecas, gazophylacia, arma & tormentarium adparatum, propugnacula, instrumenta mathematica, opificum ruricularumq; &c. Verum nec vacabat, nec sufficiebat charta præsentis exercitio nostro destinata. Itaq; abstinuimus hac vice, rejecitq; DN. Præses quidquid horum fuerit in occasionem aliquam aliam.

XXXV. Tu vero, Lector Benigne, si quæ rectius noveris, scias, errare humanum: aliquid etiam, quod properato fuerit opus, condona; certe in materia tali, cujus priora ut jacent capita scriptoribus Juris Nat. iis etiam quibus ad divina respexisse propositum erat, ne intimare quidē, quantum novimus, nedum evolvere placuit. Morosioribus perpendendum relinquatur, ipsorum quoq; calceos cuilibet pedi minime fore aptos. Tibi autem, Aeternæ rerum Stator, qui gemitus creaturæ intelligis Rom. IIX. 22. humillimi devovemus laudes, grates, gloriam!







ULB Halle : 3
006 306 713



1077







4672.

XI.

1698, 4

M.
7/

Q. D. B. V.

De

OFFICIO
HOMINIS,
CIRCA RES HUMANA
SORTE NON COM-
PREHENSAS,

3

PRÆSIDE

DN. M. JOANNE Gottlieb Hardt/
Log. & Metaph. Professore Publico, Facultatis Philoso-
phicæ Assessore, & Templi Cathedralis Magdeb. Vicario
S. Joh. Evangel. in summo,

Præceptore atq; Patrono jugi observantia
colendo,

ad diem XXX Decemb. MDCIIC.

H. L. Q. C.

cum eruditis publice disputabit

FABIANUS Thlan/ Lesna-Polonus,
SS. Theolog. Studiosus,
A. & R.

LIPSIAE,

Typis IMMANUELIS TITII.

